Zyznowski Stanislai: Phoebus Lechiae serenus sacro coronationis die, quo seren. Princeps Monarcha et Dnus D. Ioannes Casimirus, Rex Poloniae – regalibus Regni insignibus est decoratus.

PHOEBVS LECHIÆ SERENVS
Sacro Coronationis die,

QVO

Serenissimus Princeps Monarcha & Dominus,

D. IOANNES CASIMIRVS
REX POLONIÆ,
MAGNVS DVX

Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Czernichouiæq; &c. nec non Suecorum, Gottorum, Vandalorum, Hæreditarius

REX
INAVGVRATVS

Summo cum applausu Ordinum,

REGALIBVS REGNI INSIGNIBVS.
In Inclyta Poloniarum Metropoli. Anno Verbi incarnati,
MDCXLIX. XVI. Calend. Februarij, est decoratus.

& in Symbolum
Erga Sacram Regiam Maiestatem, Officiosæ subiectionis, àc submissæ venerationis.

Luci publicæ exhibitus

A

STANISLAO ZYZNOWSKI,
Artium liberalium Magistro Philos. Doctore, & in Alma Academia Craconiens. Professore

---

In Officina Typographica Martini Filipowski.

In Arma Domus Inclytæ.



Munere quàm diues, quàm pulchrum ſtemmate Regnum,
Cara ſuæ gentipignora, ſtemma dedit.
Deſcriptum rubeo cernis, violæq; colore,
Piaſecci ſcutum: gloria pulchra Domus.
Fœlix progenies gemino Piaſeccia vultu;
Palladis & Martis fœdere, quid melius?

ALBBRTVS ROSZKOWIC,
Exorator coram Deo perpetuus.

Perillustri & Admodum Reuerendo Domino,

D. REMIGIANO PIASECKI,

Cantori Præmislien. Regenti Cancellariæ Regni, S. R. M. Secretario.

D. & Benefactori, felicissimam valetudinem cum omnii honorum accessione.

AD Sacram Coronationis diem, quâ Serenis: ac Potentis: Princeps, IOANNES CASIMIRVS, Rex Poloniarum feliciter inauguratus, diuino destinatum consilio, Maiestatis Regiæ ingreditur Solium; incultus hic excurrit calamus: Per illustr: D. suæ quippe conscius tenuitatis, in tam arduum non descendisset negotium: nisi inusitata ex nouo Rege, lætitiæ magnitudo, vi blandiori rapuisset Oratorem, inuitumq; ad sui obliuionem coegisset, dedignata pectoris angustias. Discant hanc sapientiam publici pædagogi, & ineptæ seueritatis gloriosissimi candidati: veram Philosophiam conuenientes nouo tempori habitus induere, præcipere. Atq; ego dum optimè nouerim tuam Perillustr: D. iudicij amplitudinem, quâ studia literatorum literarumq; promouere consueuisti, & eam animi excellentiam, quâ Tibi exageratus studio literarum placeat affectus: ideo præsentem hanc in propensæ voluntatis argumentum orationem, Illustri Tuo nomini, dedicandam esse censui. Fuit semper deuotus meus Tibi animus, idq; ob singularia fauoris Tui ac beneuolentiæ monumenta. cum enim nihil in Te sit, quod à Tuo illustri discrepet sanguine, illa potissimum virtus, Tua est gloria posse & velle benefacere. Generosus, Generosissima Tua stirpe in lucem prodijsti, quia in omni laude, quâ virtutum, quâ meritorum es minimè degener. Singulas hîc percensere laudes loci negat angustia, quas tamen Ioue feliciori vberiori describere calamo, promptus non deest animus. Satis hîc ad laudem, Solus generosus animus, quem ne domestico deprimeres otio, omnium patientissimus incommoditatum, primò quidem ad comparandam solidioris doctrinæ & sapientiæ segetem fructuosam, ad cultioris soli gentes pergere non intermisisti: illinc reuersus, ad Aulam Serenissimorum Regum nostrorum Te recepisti, ibidem in gloriam Domus Tuæ inclytæ ampliorem, Tuiq; nominis famam, meritis insignibus desudaturus. Celebris Tua eruditio & eximia prudentia nobilissimam accepit laudem ex Iudicijs Tribunalitijs, ad quæ deputatus, eâ fide stetisti, eâ inclaruisti integritate, eâ demùm excelluisti animi generositate

sitate, vt publicæ vtilitatis defensor, innocentium & humilium tutor, repressor superborum, bonorum amator, veritatis cultor, hostis malorum habereris. Et hæc est potissima boni iudicis virtus, quam Tu vitæ integritate omniq; honestate gloriosam fecisti. Nefas enim est apud Te, nomina libertati Patriæ dedita seruili contagio pollui. Quemadmodum & Perillustris olim IACOBVS PIASECKI *Abbas Mogilnensis, Frater Tuus carissimus, quem Parca crudelis in flore ætatis immani demessuit ense: lux illa virtutum gratiosissima, beneuolentiæ & humanitatis simulachrum, comitatis miræ exemplum; cum ad eadem sederet iudicia, fuit Speculum omnis vitæ melioris, nullo intinctum næuo, sciens nobilitatem generis, virtute destitutam non posse intelligi. Et cum populus nihil magis intuetur quam Principes, quorum vitam habet pro lege, idem vterq; ad iudicis personam referri sentientes, stateram iustitiæ in omnibus nequaquam transilire potuistis. Atq; hæc auita est Domus Tuæ laus, quam in Jllustrissimo & Reuerend: Episcopo Præmislien:* PAVLO PIASECKI, *adlapsa demirando prædicabit posteritas, cuius Tu virtutum viuum esse contendis simulachrum. Nullis inquam delebitur funeribus, summa illius eruditio & prudentia: sublimis vitæ integritas, ibit in famam sæculorum; veritas & iustitia per Europam omni æuo manebunt prædicanda: Te istæ ipsæ in Aula Serenissimorum Regum commendant virtutes. In Archiuo Regni præclara elucent eruditionis ac prudentiæ Specimina, cuius cum agas præsidem, agis etiam styli eleganti grauitate, iudicij præstantia, prout velis & Senecam & Ciceronem. Nec vitæ integritas, nec veritatis & iustitiæ exacta obseruantia, est à te aliena, vt ita appareas qui vir sis in magistratu. Non vis esse filius Scipionis, cui per Senatum Romanum prohibitum erat, ne gestaret annulum in quo Patris sui conspiciebatur effigies, eò quòd degenerauisset ab illo. Ita Tu Illustrissimi Patrui Tui veram synceramq; refers imaginem, vt ad hanc dignitatis progrediaris prærogatiuam, quòd non modo annulum, sed tyaram Episcopalem gestare valeas. Nec est cur hic sileam, Magnificum Dom. Fratrem Tuum,* PETRVM PIASECKI, *cuius dexteritas bellica, heroicus pro Patria animus, hanc laudem promeruit, quod illi ad prælium contra Cosacos, Præfecturam sufficerit militarem. Hanc possedit in illo perturbato rei militaris ordine, singularem gloriam: quod altâ præditus mente, in discrimen vitæ aliquoties prorumpere non formidauerit. Ista laus Fratrum Tuorum, laus Tua est: illa in Te viuit, hæc Tecum. Lucete salutaria Patriæ sidera, pergite in diuturnam vitam cara Patriæ pignora, hic in sago Tu in Toga optimi Ciues.*

Perillustr. & Adm. Rdæ: Dnis. vestræ, affectu totissimus
M. STANISLAVS ZYZNOWSKI, in Alma Acad. Crac. Professor.

PHOEBVS LECHIÆ SERENVS.

FERALIBVS pullata vmbris, diuturni ſpatio temporis, languere non poteras, ò Alma Polonia, quia cœleſti, à polo vocata nomine, concordem cum cœlo, ſeruare debuiſti ſymmetriam, quod alterna Solis claritate, latè patens Septemtrionis recreat hemiſphærium: vel quod nuſquam eſt, ad exactam orbatum lucis abſentiam. Si veriùs, ad hiſtoriæ calcem, Polonia *à pole* appellari meruiſti, de ſerenitate, haud quidquam ambigere potuiſti quæ ad tuos, omnigena frugum varietate felices campos, feſtinante non redeat curru. Atq; hinc, benè tibi ominari deberes, inclyta dulciſq; Patria; talem tibi ex cælorum votis, contigiſſe ſortem: vt quantò ſis cælo proximior, iure affinitatis; tantò remotior à caſu, & fatali periodo. Nihil turbæ ærumnarum, quibus rerum mundanarum, creberrimè miſcentur vices; nihil inuiſa terrenæ potentiæ Numina, quæ mundum in ordinatis fatigant deſiderijs, contra diuturnam felicitatem tuam, proficere poſſunt: eò prorſus in ſe relabente incommodo, vt qui ſpuit in Olympum, reſpuat in ſe. Temerè procedit, audax gentium furor, qui dum te malignè ferire ſatagit, ſuis mox reuerberantibus indolet telis. Accepiſti hæc fortunata auſpicia, & ab auguſto pignore tuo, quod in primordijs tuis, ſupremum cæleſte Numen, tibi ad gloriam, ſimul & ad præſidium ordinauit. Candida Aquila tua, ad ictus fulminum non ingemiſcit, nam ab illis ſecura perpetuò manet: tam præſtanti, ab Authore naturæ, decorata fauore. Aduerſum qui hìc ſentiat, tuus eſt hoſtis. Suprà quàm ſatis, cunctis

patuit nationum populis, te hostiles furores, quoties in ruinam tu am efferbuerant, ad æuiternam tuam famam, gloriosè superauisse. Iacet modò confusus hostis: quando in tua confusione, si quæ fuit, non confusas, sed serenas Ciuium experiebatur mentes. Si tamen, verecundo liceat referre calamo, fatis abreptum, inuictissimum Herculem VLADISLAVM IV. prô DEVM hominumq; fidem; fieri ne potuit, quin ad occasum, gloriosissimi Monarchæ tui, tristitiæ angustijs, non premereris! Vniuersi Orbis Christiani lachrymæ, ex intempestiua morte illius, humana si possint cumulari industria, profluentem cerneremus. Sola ô Polonia, quomodo sine luctu, sine dolore, manere potuisti; cuius felicitate admiranda, summa potentia, authoritate apud omnes exteras gentes, cum cæteris Regibus non comparanda, hostibus ipsis formidanda; alta pace, & plusquàm Romanis fruebaris delicijs. Scire velis causam, cur Orbis Christianus, luxerit VLADISLAVM: quia rediuiuum, ad Reipublicæ Christianæ felix incrementum, expetiuit habere Alexandrum. Dolere igitur debuisti Polonia: cuius quidem doloris inter plurima, hoc non minus argumentum. Debuit aliquantisper obscurari Serenitas tua, quia dum Sol nouus, ingressus est, thronum Maiestatis Regiæ: subitò tristes disperierunt vmbræ; & iam noua Serenitatis coronaris Maiestate. Sub polo Arctico, nemo sex mensibus videt Solem: at vbi primùm exoritur, gratiorem quàm antea, præbet lucis splendorem. Sic tu, vltrà semestrem progressa sereni iubaris eclypsim, augustam altiori gradu, quàm primigena erat, recipis serenitatem. Id omnes, praxi experimur continua, quòd præmissa tristitia, sequenti gaudio, conferat dulcedinem. Eà propter, culpare ex ilis Mineruæ propositum, non maior esset culpa, quàm si quis, serenum post nubila Phæbum, culpare auderet. Prodit igitur tenui stylo depictus, Phœbus Lechiæ serenus, quem in communi Patriæ lætitia, Proceres literarum, placido prosequantur Fauonio.

Phœbus oritur Lechiæ serenus, quando Serenissimus Princeps

ceps Monarcha & Dominus, D. IOANNES CASIMIRVS, cæliterræq; conspirantibus votis, Regale conscendit Solium: cuius muneris est, opacas Orbis partes, gratioso serenare lumine. Experitur hodie, beneficũ lumen, faustè locata ad Septemtrionem Polonia; dum ex nouo Rege, Insignibus decorato Regalibus, illa quoq; noua gaudij coronatur luce. Nænijs tristibus, paulò antè, ex occasu Regis desideratissimi occupata, Fatorum accusabat immanitatem: hodie ad exorientem noui Regis Serenam Maiestatem, lætos edens susurros, Numinis Altissimi, incredibilem deprædicat clementiam. Neq; ego facilè crederem; Regem, in Regno esse Solem, nisi exasperata mæroribus Polonorum pectora, læta cernerem, ad augustos Maiestatis Regiæ splendores. Lugubribus soluta vestibus, Polonia; collis ille est, florum varietate insignis, quem Sol perennis luminis parens: ad amænitatem prouocabat, tali cum lemmate. *Si serenus illuxerit.* Serenum illuxit Orbi Sarmatico sidus, Serenissimus IOANNES CASIMIRVS, qui discussis vndiq; tristitiæ nebulis, coloribus gratiosis, festiuisq; gaudijs, serenat omnia. Neq; prorsus aliter, quàm simul atq; nouum ver; vbi terris hyberna niue horrentibus, suis illis aspirârit Fauonijs, repentè omnis rerum facies, mutato squallore enitescit: ita vbivbi locorum, Serenissimi IOANNIS CASIMIRI pompa apparet, aut nunciatur, mox illic omnia, noua quædam occupat lætitia. Inusitata hæc, gestientium animorum gaudia, ampla cum vbertate, à summis descendunt Regis virtutatibus, & incomparabilibus animi & corporis dotibus: quibus ille, Regum aliorum, si non superat, certè exæquat gloriam. Perpendebant benè, Sapientissimi Reipublicæ Ordines, quantùm, in nouo Principe bonorum possiderent: vt ex eius, quibus diuinus fauor, pulcherrimis auxit illum ornamentis, non ignorarent; omnem suam incolumitatem, fortunas, opes, pacem, ocium, bonorũ accessionẽ, pendere. Deduxit plurimos, in spem felicitatis, fortunatus dies natalis eius, nam elapso tempore, perquam exiguo gloriosissimus Parens

rens, SIGISMVNDVS III. trophæa ex Moſchis, feliciter reportauit: ibidemq́;, ſtrage notabili in hoſtiles exercitus inducta, Smolenſcum recuperauit. Rectè hinc, autumare poſſumus in columitatem & fælicitatem, Patriæ noſtræ: nam ſi verum fuit, Auguſtum Dominum Orbi terrarum natum; quod eo die, primam hauſerit lucem, quo ſuper Catilinam, peſtem gloriæ Romanæ, exilium decerneretur: cui diuinare non liceat, Sereniſſimum IOANNEM CASIMIRVM, non modò, incolumitatem alta pace præditam, Regno Poloniarum allaturum: verùm etiam, in Vniuerſi Orbis Chriſtiani gloriam, regnaturum. Quid enim prohibet, virtutem illius, in altum excreſcere poſſe. Iagelonius ſanguis eſt, quem vt primùm, Diuina prouidentia, Regno inuiſcerauit Poloniarum: ſtatim viuere felicitas, & triumphare felicius, Chriſtiana cæpit Eccleſia. Sanguis eſt, ex Galeni doctrina, vitæ vehiculum. Sanguis Iagelonius, vehiculum Nominis ac felicitatis Polonæ: cuius fortunatam propaginem vniuerſus populus, meritò ſibi comprecatur. Imò verò, in tam perturbato Reipub: Polonæ ſtatu, ſi Rex eſſe debuit, CASIMIRVS, qui quarti gauderet nomine, eſſe debuit. Neminem latet, quanta Patriæ noſtræ veniat felicitas, dum Rex IV. poſsidet ſceptrum. Libet hîc refricare memoriam, quando poſt fata SIGISMVNDI glorioſisſimi Regis, Moſchouiticus furor, parabat pernicem Polonis, quem VLADISLAVS IV. feliciter coronatus, feliciter perdomuit: ingentibus hoſtium copijs, ad internecionem profligatis. Eam modò, ex Sereniſsimo CASIMIRO, percepimus felicitatem: qui, vt primum fuit in Regem Poloniæ Nobilisſimorum Ordinum, pergrato aſſenſu, inauguratus: mox propitij Numinis, fauor adhæſit, & ſæua tempeſtas, fatali turbine in faſcinata, receſsit. Neq́; aliter, efferata gens Coſacorum, quæ quoquò verſùm ingrueret; bello, tumultu, terrore, cæde, ſanguine, permiſcebat omnia: ſuum vlteriorem impetum, ac furorem cohibuiſſet; niſi Sereniſſimum CASIMIRVM in throno Maieſtatis Regiæ collocatum audiuiſſet. Sereniſſimus

ſimus IOANNES CASIMIRVS, rediuiuus ille eſt Camillus, quo regnante, Roma capi non potuit, nam & illo: Regale Solium ingrediente, Polonia, vltimo ſuccumbere exitio, non potuit. Fuit omnino, fatalis quædam vis, diuinitus adiuncta, Sereniſſimo Regi, veluti Caio Cæſari: vt non ſolùm aſpectu, ſed ipſo quoq; rumore, hoſtibus formidinem incuteret verùm, quod illi ad belli momenta, fuit adiunctum; hoc Sereniſſimo CASIMIRO, adexcitandam beneuolentiam, & pacem conciliandam. Conceſſit hanc virtutem pſyllis, prouida parens natura, quod non ſolùm peſtilens virus illis officiat, verùm illud ſuctu eximant: non diſſimili quoq; ratione, Sereniſſimus IOANNES CASIMIRVS, vſq; adeò nec odio Coſacorum obnoxius, vt ex illorum animis, immanitatis virus potenter educat. Ita fortaſſe futurum eſt, vt quemadmodum Titus Imperator, Orbis amor fuit appellatus: mirabiliori quodam ordine, Sereniſſimus IOANNES CASIMIRVS, ipſorum amor hoſtium, appelletur. Elucet enim omnino, in Sereniſſimo Principe, talis quidam oris habitus, qualem & hoſtes formidare, & amare poſſint. Iſtius modi figuram, Achilli affinxit Homerus, Æneæ Virgilius, talem Africano Duci, attribuunt hiſtoriæ: quam ſic auguſtam eſſe voluerunt, vt nihil tamen amabilius ſic; rurſus amabilem, vt nihil auguſtius. In Sereniſſimo Principe pluſquàm heroica, procul etiam oſtentans Principem facies, amabili quadam venuſtate, pariter àc Maieſtate temperata; qualem arbitror fuiſſe illi, in quo vno, quaſi geminus vultus Martis & Apollinis appareret. Atq; illum hìc, nec ipſo cum Hercule, in hoc laudis genere, comparare poſſum: quia ille gladiatoria audacia cum monſtris depugnabat Maieſtati Regis Serenniſsimi Monſtra vltrò ceſserunt. Quid maius ad felicitatem, Sereniſsimo CASIMIRO, ſuperi dare potuerũt, quam vt hoſtium quoq;, nec dum Martis arenam ingreſſus, ſua Maieſtate perculſos faceret animos. Nihil fuiſſet ad meliorem felicitatem, & ſi Cecropem nobilitate, Policratem felicitate, Cræſum opibus, Xerxem copijs, victorijs Caium

Cæſarem, triumphis præcederet Pompeium; dum in hoc vno laudis genere, aliorum Monarcharum exquiſita ſuperet encomia. Huius tantæ, tamq; incredibilis felicitatis, nullus erat ex Regibus CASIMIRVS, qui iſtam nominis occuparet gloriam. Quidquid enim, fauſtitatis, & Regiarum virtutum, in illis elucebat, eæ omnes eminentiori, longè in Sereniſsimo IOANNE CASIMIRO, relucent perfectione. Militantem ſi quæras rationem, vel hæc ipſa vagabundam ſaluabit mentem. CASIMIRVM cogitã quartum. quartus eſt, veluti ſuprema & excellentiſsima CASIMIRORVM laude, cumulatus: cuius fortunam conſtantẽ, quaternarius ſymboliſat numerus. Indeq; non vanus augur venio, inclyta Polonia, te in alta pace, & tranquillitate ſumma conſtitutam eſſe CASIMIRO IV. Rempublicam, feliciter moderante. In quarto ſi quartum dicere malis poſita es, veluti ciuitas Dei, ad æternam comparata quietem, in quadro fundata. Serenitas tua, felixq; tranquillitas eousq; ſtabit firma & immobilis, donec pari numero, gaudebis in Rege. Quartus fuit VLADISLAVS, Chriſtiani orbis gloria, Europæ propugnator, Oſmani terror, Moſchorum perdomitor: quartus ille fuit, qui vniuerſum Orbem fama rerum geſtarũ, armorumq; compleuit gloria. Iiſdem nos elogijs, triumphantem CASIMIRVM IV. coſpiciemus, & audiemus. Vnus ille Sanguis cum VLADISLAO IV. vnus in vtroq; animus. Et quemadmodum in malefactis, aliquem iudicamus ex ſocio; è contrà hîc, in heroicis meritis, & glorioſis facinoribus, Sereniſsimum IOANNEM CASIMIRVM, feliciſsimum & glorioſiſsimum Regẽ, ex Fratre, debemus conijcere: id ſpe concipientes, vt quod optimũ fatis concedente VLADISLAO Fratre, amiſerat Polonia, illud denuó, Sereniſsimo IOANNE CASIMIRO Regnante, repetat. Felicibus auſpicijs, ſceptra Regni obtinuit, in felicitate continuabit, & primam ſuam in diademate, & Fratris gloriam. At profectò, poſt tot malorũ procellas, quibus vexabatur duriter Polonia noſtra, ſi quando Regẽ experta eſt Solem, nunc

potiſ-

ligiosorum præceptorum, quia spontè incredibili cum feruore in studia virtutum incubuerat: quibus innutritus vlteriori ætatis progressu, nil nisi heroica atque Regia, progenerabat facinora. Sat euidens erat argumentum, feruentis illius in Deum amoris, qui quòcunque sereciperet, spiritualem Patrem sibi præsentem habuit, partim propter Diuinorum contemplationem partim propter seruandam mentis integritatem. Quid refert aliud, tabella illa aurea, Leopoli in Ædibus sacris Carmelitarum deposita, præterquam in præstandis Deo gratijs, zelantem animum; quando Moschis gloriosè superatis, à Borysthene reuersus in illam vrbem, morbo ibidem affectus acutiori, augustæ Dei Parentis subsidio conualuit. Non deflexit à feruore deuotionis, itinerarijs fatigatus molestijs: dum, ne generosus otio torpesceret animus, longitudine dissitas peragrabat terras. nam sacrum audire, consuetis vacare deuotionibus, Diuorum ædes, sacella visitare, siue Neptuneo veheretur curru, siue sexigis expediret iter; semper grauem sibi iacturam venisse cogitabat: quoties occasioni ad mentem Deo sacrandam, affectum non inpendisset. Erant infixa memoriæ illius præclara, Theodosij Augusti verba, quibus filijs suis pietatem inculcabat; colite filij pietatem, per hanc felix regimen pendere, conseruari pacem, extingui bellum, hostes in fugam verti, victoriam denique constare, certo certius, magni comperierunt Reges. Atque hæc virtus, eò maior in Regibus àc Principibus deprehendi solet; quó difficilius cum pomposis sociatur titulis, blandisque deliciarum oblectamentis. Illa tamen virtus, sublime & excelsum tenet in Regibus fastigium. quæ gemmeam Regnorum, Imperiorum, parturit felicitatem. Non aliam hìc cogitare licet, præter ipsam fortitudinem; quæ inter illustri adornata splendore virtutum cacumina, insigni victoriarum cumulo gloriosissima, trophæorum multitudine celeberrima, illustri triumphorum splendore fulgida, Regum, Imperatorum, Principum, ferro incisa marmori nomina, fastis consecrat immortalitatis. Prodit se ex ea sublimis animus, ad sce-

ptra purpuramq; natus, in Sereniſ: IOANNE CASIMIRO, quem in primo adoleſcentiæ flore, equeſtria exercitia, & eximia equitandi tractandiq; arma, tum pugilum, tum militũ, more commendauit ſtudium. Non fuerunt hæc leuidenſia futuræ eius fortitudinis exercitamenta, quibus ad ſtrenùe cum hoſte, dimicandum, profecerat inſigniter. Nihil illum terruerunt hæreditarij domus ſuæ hoſtes, contra quos, cum glorioſiſsimo Parente, SIGISMVNDO III. 20. currente anno, ad Mariæburgum ſtetit animoſus. Fuit deinceps magna pars victoriæ, Sereniſsimo diuæ memoriæ VLADISLAO Fratri, quem ad Boryſthenem cum fœdifragis Moſchis, potenter iuuit; ſuæ etenim legionis ſubſidio, Smolenſcianos extremo laborantes periculo, erexit. Hæc illum dexteritas bellica, & ingens animi robur, in ſupremam, vigiliarum præfecturam ordinauerat; quod quidem munus ſuum ita adimpleuerat, vt obſeſſores obſeſſos, debellatos, & confuſos, ad pedes Regios humiliaret. Triumphali illa gloria animatus, cum victore exercitu in Turcas & Amuratem perrexit; quem niſi ſaniora pacis conſilia, Murtazio Baſſa in concordiam properante, à propoſito retardaſſent, Martis alea victorem nobis oſtendiſſet. Quid fortis animus, vlterius ſibi proponebat faciendum? quieſcendumne, & commoditatibus poſt tot exhauſtos labores, conſumptas fatigationes indulgendum? minime, ne illa heroica virtus inertiæ langueret fomento, ad caſtra Imperatoria Auguſti Ferdinadi ſui Auunculi diſceſsit. Exceptus ſumma à Cæſare lætitia, ad eam animi magnitudinem progreſſus erat, vt ad pericula non attendendo, recedentes in Galliam hoſtes, ſua legione perſequi attentaret. Nec deerat aliquis, in militia illa genius infeſtus, qui quæ potuit incommoda, vitæq; pericula, intentauit. atq; hæc omnia aut ſingulari profligauit prudentiâ, aut infracto pertulit animo. Vir fortitudinis obarmatus panopliâ, deſpexit cuncta, quæ in hominem cadere potuerunt. Eſt enim auida periculi magna virtus, tuta ſemper ſectari, ignauiam exiſtimat; per alta & prærupta enititur, & cum periculo potiùs

ſumma

summa, quàm tutò humilia sequi mauult. Hoc vel solo nomine, abundè laudari potest, Serenissimus IOANNES CASIMIRVS, quòd ex omni comitum numero, quorum maior pars, repentino perterrita metu, fugæ accelerabat: ille solus instando fortiter, in vitæ non modicum inciderat discrimen. Non alius apparuit, qui vel laborum appetentior, vel incommoditatū tolerantior, vel solis, pulueris, imbris, inediæ, aliarumq; molestiarum patientior, extitisset. Neq; illa bellicæ rei gloria, quam per tot laborum quæsiuit experimenta, adscribenda est fortunæ; cui hoc nomine etiam succensere potuit: quòd quem sceptro, & solio destinauerat, rarò indulgenter habuit. Sed vt seueri patres, suis quos plùs diligunt filijs, tristiores esse consueuerunt; ita illa Serenissimū Principē bellis difficillimis, & aduersitatibus exercuit, dum aptauit Regali Solio. Magnanimum illum, natura produxerat; qui cum nosset, vnum esse huius vitæ fluctuantis, & turbidæ portum, stetit confidenter; apertèq; tela aduersæ fortunæ, recipere non aduersū sibi existimauit. Tam constantē illius, dum miramur animū quòd per omnem sæuientis fortunæ mutationem, firmiter consisteret: prudentiam hoc in passu mirari debemus, quæ quanta sit in Serenissimo Rege, ignorat nemo. Prudentia est ingeniosissima contra artē, sagacissima contra astū, generosissima contra terrorem, imperterrita contra exasperatam & fucatam maiestatem: artem ingenio, astum consilio, terrorem indomito vigore, mentitam maiestatem, ampla animi constantia, Serenis: IOANNES CASIMIRVS, contriuit, superauit. Non deerat hoc, in Principe prudentissimo, vt anteuerteret infortunia, caneret triumphum, dissipatum animi statum colligeret, mentem ad Dei nutum & voluntatem componeret. Non poterat illi aduersa obesse fortuna: quia sibi firmius in prudentia, quàm in casu præsidiū collocauerat. Hæc eius celebris prudētia, gemino nititur fonte; scientiarum videlicet exquisita peritia, vsuq; rerum diuturno, moribus deinceps, ingenijs cæterorū hominum exploratis. Didicit eximia cum laude iuuenilis ætatis,

literas humaniores, quibus per sedulam diligentiam Philosophiam & Mathematicas adiunxerat disciplinas. Nec alia Rege dignior videtur scientia, quàm ipsa Mathesis; Regum illa est inuentum àc Imperatorum, & per Reges Principesq́ue non infelix sumpsit incrementum. Illa ad rem bellicam prosperè gerendam, ad consilia optima suggerenda, ad casus & fortunæ volubilis ludos eludendos, ad feliciter gubernandam Rempublicã tantum valet; quantum in illis Regibus, Augustis valuit Imperatoribus, quos felicissimos, prisca ætas excellentibus prosecuta est encomijs. Relucet in Serenissimo Rege sublimis variaq́ue eruditio; relucet dignus imitatione cultissimus latini sermonis stylus, in quo neruosam Senecæ grauitatem, Lipsij vim acutam, ingenij, mellifluam Tullij suadam, exactam linguarum exoticarũ comperies notitiam. Fortasse illas benè tenuit Taciti voces Imperatore dignas. Quis meliùs imperat, quàm literatus, ideoq́ue Constantini laudem æmulatus, maluit sibi apprecari, eruditione potius commendari quam imperio. Et profectò, tali ad præsentem infelicitatem opus erat Rege, sub quo nobis, prisca redderetur pax, & vigor literarum pristinus, quarum nemo est sincerus fautor, nisi qui cum illis arctam iniuit societatem. Neq́ue hîc, plurimis ad exagerandum literarum emolumentum opus est verbis, quantum ad Regnorum, Imperiorum, conferant, felicitatem. ipse sufficiat in testem oculus Historicorum Salustius. Ego inquit comperi omnia regna, cunctas nationes, vsq́ue eò imperium habuisse, dum apud eas vera consilia valuerunt, ipsæq́ue floruerunt literæ. Neq́ue nostra, toto Orbe inclyta Cracouien: Academia ad dubitat, quin Serenissimũ Regem coronatum, sibi habeat propitium. Iagelonia tota est, à Iagelone stetit, in Iagelone creult, per Iagelonem vigeat, floreat expedita expedit & ad famam stirpis Serenissimæ promouendam, & Regni ipsius per omnes exteras gentes gloriam propagandam. Illud quippè Principis boni munus est, relictam à Maioribus gloriæ hæreditatem non tueri modo gnauiter, verùm etiam reddere au-

ctiorem

ctiorem. Sed hæc magis ex ſummâ Regis Sereniſs: prudentia, quàm ex mea eluceſcunt oratione. Quis ita lippis infirmus oculis, qui hanc præſtantem & illuſtrem, in Sereniſsimo Rege non ſuſpiciat virtutem. Quæſiuit illam, plurimas obeundo Nationes, quàm ſummo cum ſtudio comparatam, nunquam letheis obruendâ aquis, recondidit memoriâ. Peragrauit Cælitibus propitijs, Hiſpaniam, Galliam, Italiam, Germaniam, Angliam, aliasꝗ longinquitate diſsitas Prouincias; vbi, gentium, ciuitatum, familiarum, linguas, cultus, ingenia, mores, variaꝗ ſpectauit inſtituta. Non fugiebat congreſsus cum Viris ſapientia illuſtribus, collocutiones cum Regibus, cum Magnatibus familiares conuentiones, cum quibus ad Sophoclis ſententiam, ſapientior euaderet. Si quis ea in re, contendat ire inficias: condemnet Lacedæmoniorum inſtitutũ, qui Apollinem Sapientiæ præſidem quaternis manibus, totidemꝗ pedibus, fingere conſueuerunt: illud nimirùm innuentes, eum demũ prudentem virum haberi debere, qui plurimas res tũ geſſerit, tum audiuerit. Sapientiſsimum inde Hadrianũ Imperatorem, antiqua illa prædicauit ætas, quòd peregrinationibus fuiſſet clarus qui eam conſuetudinem receperat, vt quidquid in libris legiſset, id oculis coram intueri concupiſceret. Quamobrem Herodotus Græcæ princeps hiſtoriæ, Solonis illius oraculi ſapientiæ, peregrinationem tantùm extulit, quantùm dicendo valuit. Non indigna laudatore eximio, Regis Sereniſsimi peregrinatio cenſeri debet. Quàm ille propterea ſuſceperat, tum vt veræ ſolidæꝗ prudentiæ, fructuoſam compararet ſegetem, tum vt exerceret pietatem tum vt morem Chriſtianis gereret Principibus, quorum amor & ſanguis fuit. Quid etenim in Sereniſsimo Principe poterat inueniri, quod eũ non redderet gratioſum. Ita illum partim natura, partim ipſe ſe talem finxerat, vt nulla in re non eſſet voluptati intuentibus. Imò verò ſic erat venuſtus, ſic amabilis, ſic gratijs omnibus exornatus, vt non ab hominibus genitus, ſed à Dijs factus eſſe videretur. Illa ipſa in tanto Principe modeſtia, quam per iucunda

vocis, vultus, geſtus, harmonia; totiusq; corporis decentiſsima explicat compoſitione; quid non boni fauſtiq; pollicetur, cuius mores reddit vuehementer venuſtos & amabiles. Videres in fauſto ad Solium auitum ingreſſu, effuſam hominum multitudinem; quomodo nutante vultu intimos enunciabat affectus, quæ eo tempore gratiſsimam ſibi venire lucem cogitabat. Spectabat primò ingredientem Sereniſsimum Regem, veluti primam de mane lucem, quæ ſalutari ſplendore, languentes ſerenat herbas, triſtesq; recreat campos. Non aliud ſolers aliquis inueſtigator, in ipſis profundioribus cerneret Polonorum pectoribus, niſi cælum, quod Solem deſideratiſsimum immenſo recepit gaudio. Id præcunctis Nationibus laudis & gloriæ, ſola habet Polonia, quæ ita eſt deuota, ſyncerè fidelis, amansq; ſui Regis, vt in cuiuslibet ſubditi complexu ſinuq;, dulcem poſsit capere ſomnum. Procedat igitur felix, tantis ſubditorum votis & comprecationibus, Rex Sereniſsimus IOANNES CASIMIRVS, quem ego cum Phæbum Lechiæ Serenum nominaui, non erraui. Serenus ille eſt; quia auguſtis Serenitatis ſplendoribus, Orbem Poloniarum, imò totiùs Europæ ambitum prouocauit ad lætitiam. Splendores candidæ & amabilis, iſtius lucis, qui per has Septemtrionis terras diffuſi manent, ſunt eius venuſtæ felicitatis, quam ſibi cæleſtis fauor, cum primùm in lùcem prodiret, prodigâ impertiuit munificentiâ. Quâ deinceps ita largus, ita liberalis, vt cum illam poſsideat, totam integramq; in ſubditis videre liceat. Serenus eſt inſigni laudanda omnibus, imitandaq; pietate, qua ſuo Regno, cunctisq; Ditionibus, ſalutare affulſit ſidus. Si etenim fortuna ſecunda, nihil aliud eſt, quã propitij Numinis fauor, eam nihil æquè conciliat àc pietas in Principe: nec apud homines quidquam eſt, hâc vna virtute, fauorabilius, amabilius. Serenus eſt, heroica illâ Regiaq; virtute, ipſa ſcilicet fortitudine, quam cum in illo natura inchoauerat, ſingularis deinde perfecit induſtria. Hâc triũphabit feliciter, perennabit contra maleuola hoſtium vota ſuauiter. Serenus eſt,

diuina

diuina illa virtute prudentiâ, quam per tot tamq; difficilia didicit experimenta: non ignarus augustam prudentiam esse, Regnorum Reginam, purpurarum ornamentum, parentem gratiarum, oculum regnantium, lucernam animæ, aurigam nutricemq; virtutum. Hanc ille cum possedit, custodiuit eum, cum dilexit, conseruauit eum, cum est complexatus, dedit capiti suo augmẽta gratiarum, & corona inclyta protexit. & sic Phæbus Lechiæ illuxit Serenus, Serenissimus IOANNES CASIMIRVS, feliciter coronatus. Illi sit faustum regimen, diuturna potestas. hic meus candor, hoc votum. Atq; ita spem concepi, quia Dominus assumpsit eum. & est compactum desuper. DIXI. Prouerbiorũ 4.